

8.41.15

*Idem A. Claudiano.*

Si indebitam pecuniam quasi ex causa fideiussionis obstrictus in cautionem per errorem deduxisti, tam doli mali exceptione uti quam condicere, ut obligatio tibi accepto feratur, potes.

1 ¶ Non est autem dubium fideiussorem, rei promittendi bonis ad fiscum devolutis si idem fiscus ob debitum restituendum fuerit conventus et solverit, liberari.

*PP. V k. Dec. Gordiano A. et Aviola cons.* [a. 239]

8.41.16

*Idem A. Maximo.*

Fuit liberum, antequam adversus omnes fideiussores lis contestaretur, unum eorum eligere creditori, si modo ceteros minus idoneos existimaret, at nunc post litis contestationem petitionem divisam redintegrari iuris ratio non patitur.

*PP. II id. Iun. Gordiano A. II et Pompeiano cons.* [a. 241]

8.41.17

*Idem A. Brasidae.*

Omissis quoque pignoribus fideiussorem a creditoribus utiliter conveniri, nisi in id quod ex his refici non potuerit acceptus ait, explorati iuris est.

*PP. VI id. Mart. Attico et Praetextato cons.* [a. 242]

8.41.18

*Imp. Philippus A. et Philippus C. Smyrnae.*

Si, ut proponis, fundum ob debitum obligatum non iusto pretio vendidisti, residuam quantitatem, quam ex pretio eiusdem servare potuisses, refundi tibi a fideiussore non iure poscis.

*PP. V k. Aug. Peregrino et Aemiliano cons.* [a. 244]

8.41.19

*Imp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Sabiniano.*

Si alienam reo principaliter constituto obligationem suscepisti vel fideiussorio sive mandatorio vel quocumque alieno nomine pro debitore intercessisti, non posse urgeri creditorem, eum qui mutuam accepit pecuniam quam te convenire, scire debueras, cum, si hoc in initio contractus specialiter non placuit, habeat liberam electionem.

*S. II k. Mai. AA. cons.* [a. 293]